





DISSERTATIO INAUGURALIS IURIDICA  
DE

VOTIS D V P L O  
MAIORIBVS

ad c. 40. X. de elect.

QVAM

EX DECRETO ET AVCTORITATE  
ILLVSTRIS IURISCONSULTORVM ORDINIS  
IN ALMA LVDOVICIANA  
PRAESIDE

D. IO. CHRISTOPH. KOCH

SEREN. HASSIAE LANDGR. A CONSILIIIS INTIMIS  
ACAD. GIESS. CANCELL. ET PROF. IUR. PRIM.  
COM. PAL. CAES.

PRO

SVMNIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS  
OBTINENDIS

AD D. MARTII MDCCCLXXVI.  
H. L. Q. C.

PUBLICO EXAMINI  
SVBMITTIT

AVCTOR

IOANNES ANDREAS SCHIEBELER

REV. CAPIT. HAMBVRGENSIS CANONICVS.

GIESSAE

apud IO. IACOB. BRAVN, Acad. Typogr.  
recusa 1784.

1776, 2

218

10



DISSERTATIO INAEQUALIS IERIDIA

DE

VOTIS DVPLI  
MAIORIBVS

ab a. de X. de 1841

IN REGNO ET ELECTORATO  
ILLVSTRISSIMO INCONSPECTVM ORDINIS  
IN ALM. SACHS. ANHALTINA  
PRAESIDE

D. IO. CHRISTOPH. KOCH

ADMISSVS IN ACADEMIAM  
HONORARIAM

IOHANNES ANDREAS SCHNEIDER

RECTOR

CAUSA

ab IO. JACOB. KRIV. Acad. Typogr.

1841



INCLYTAE  
SACRI ROMANI IMPERII  
LIBERAE REIPUBLICAE HAMBURGENSIS  
SENATVI SPLENDIDISSIMO  
VIRIS  
MAGNIFICIS  
PERILLVSTRI BV S EXCELLENTISSIMIS  
CONSULTISSIMIS AMPLISSIMIS  
CONSVLIBVS  
SYNDICIS  
SENATORIBVS  
PROTONOTARIO  
ARCHIVARIO  
SECRETARIIS  
PATRIAE PATRIBVS OPTIMIS  
PATRONIS ET FAVORIBVS SVIS  
INDVLGENTISSIMIS

HOC  
INAUGURALE SPECIMEN  
EA, QVA DECET, REVERENTIA

OFFERT

TANTORVM NOMINVM

CULTOR PERPETVVS

IO. ANDREAS SCHIEBELER.



DISSERTATIO INAUGURALIS  
IURIDICA

DE  
VOTIS DUPLO MAIORIBVS

*ad c. 40. X. de elect.*




§. I.

INSTITVTI RATIO.

Specimen inaugurale ad capeffendos  
summos in vtroque iure honores da-  
turus, de eiusmodi potiffimum tra-  
ctationis meae argumento eligendo  
cogitavi, quod & personae meae conueniret, & sua  
sefe grauitate & quodammodo etiam nouitate rerum  
peritis commendaret. Neque vereor fore; vt nego-  
tium

A 3

tium



tium hocce adeo pingui & rudi Minerua sim aggressus, vt, meis me optatis prorsus excidisse, prudentiores censere iure possint.

Quod enim ad prius momentum attinet: quale iuris thema eo, quod de *beneficiis ecclesiasticis*, horumque potissimum *provisione* agit, Canonici, qui ego sum, rationibus aptior sit aut accommodatior, ego quidem nescio. Atqui si posterioris momenti rationem habeas: tantum quidem abest, vt, quam mihi inuestigandam sumsi, de *votis duplo maioribus* materia prorsus noua sit, a nemine adhuc ventilata; vt potius multorum iam studium occupauerit, per illustrem illam, intuitu successione in Archiepiscopatum *Coloniensem*, anno 1688. agitatam controuersiam prae multis aliis nobilitata. Interim disquisitio admodum est momentosa, vtpote cuius cardo vel tandem in genuina & satis tuta c. 40. X. de *electione* interpretatione vertitur. Habet praeterea res suas miras difficultates. Incredibile enim est, quot & quanta Canonistarum in determinando votorum numero opinionum sint diuortia; adeo, vt alius hoc alius aliud statuat, & nullus fere inter omnes inueniatur, qui causam e suis originibus deriuauerit, totamque quaestionem plene & accurate, potissimum autem accommodate ad varias species obuias dilucidauerit. Quibus ex tricis *Protestantes* Canonistae adeo sese non expedire valuerunt, vt spissioribus prope, quam *Catholici* nebu-






nebulis inuoluti videantur, in his tenebris vbique of-  
fendant, raroque habeant, quibus caliginem dispellere  
ab oculis possint. Alienus sum, dum haec affirmo,  
ab omni criminationis aut acrioris censurae pruritu.  
Experientia edoctus haec scribo. Legi atque perlegi  
quotquot de hocce argumento prostant scripta prae-  
stantiora tantum non omnia. Quid? quod affirmaue-  
rim, paene nullum eorum, quae huc pertinent, si  
aliquatenus fuerit notabile, a me fuisse neglectum  
aut praetermissum. Quando igitur potiores de hoc  
argumento scriptores infra suo loco excitaturus sum,  
ipse iudicare poteris L. B. quoad monitis meis fides  
haberi possit, & quid ego in enodanda quaestione il-  
la ardua praeter antecessores meos praestiterim.

Interim totam de *electione & postulatione*, quam  
late patet, doctrinam in praesenti enucleare non  
est in animo. In ea tantum sumus inquisituri, quae  
in casu *concurrentis electionis & postulationis* circa nu-  
merum *votorum* obseruanda sunt. Quae igitur de  
*electione & postulatione* generatim idque breuissimis  
sumus prolaturi, eam tantum ob causam praemitten-  
da censuimus, vt, quae pro instituti ratione atque  
ex professo de eadem in specie dicenda sunt, eo cla-  
rius appareant, suaque quasi conspici luce possint.

Quod reliquum est, si, quod facile fieri potuit,  
hisce in lucubrationibus nostris humani quid sumus  
passi,



passi, in re tam ardua errati veniam facile speramus nos esse impetraturos, ad eandem, vt aequum est, vicissim dandam parati. Meliora nos doceat, quicumque non temere a sententia nostra discesserit, & certo sibi persuadeat, nos animo id accepturos esse gratissimo.

§. II.

I.) ELECTIO ET POSTVLATIO.

II.) BREVE ELIGIBILITATIS.

III.) CONFIRMATIO ET ADMISSIO.

Viae s. modi, quibus *ordinarie beneficia ecclesiastica* obtinentur, varii sunt, pro diuersa beneficii qualitate. Generatim hoc respectu beneficia diuidi solent in *electiua* s. *maiora*, & *collatiua* s. *minora*. Prouiso collatiuorum beneficiorum fit vel *collatione libera* s. *collatione in specie dicta*, vel *collatione non libera* s. *collatione ad praesentationem* s. *institutione*; prout beneficium *collatiuum* aut *libere collatiuum*, aut *patronatum* est. Sed de his nobis sermo plane non est. I) Redeamus ergo ad *electiua* beneficia; quorsum pertinent *dignitates ecclesiasticae* s. *praelaturae*. Horum beneficiorum particeps aliquis fit, vel per viam *electionis in genere sic dictae*, vel per viam *nominationis regiae*: quarum prior in *Germania*, in qua capitulis *metropolitans, cathedralibus & monasticis libera Archiepiscoporum*,



rum, *Episcoporum & Abbatum* electio per *Concordata Germaniae* restituta est; posterior autem in quibusdam regnis & prouinciis, v. g. in *Hispania, Gallia, Belgio &c.* vsu seruat.

Si igitur per suffragia capitularium s. electorum persona Praelati futuri designatur, *electio in genere dicta* adest, quae iterum in *electionem in specie dictam*, & in *postulationem* dispescitur, prouti subiectum suffragiis designatum *eligibilis* aut *postulabilis* persona est. *Eligibilis* dicitur, qui nullo impedimento canonico vere laborat, aut qui de impedimento, quo laborat, dispensationem ante electionis actum a *Pontifice* impetrauit, quale indultum *breue eligibilitatis* 2) vocare solemus, vi cuius persona ex *postulabili* iuris intellectu sit *eligibilis*. *Postulabilis* contra vocatur, qui impedimento canonico, tali quidem, cuius veniam superior & dare potest & solet, laborat & *breue eligibilitatis* non impetrauit. *Indignus* denique s. *impostulabilis* appellatur, qui tali impedimento laborat, cuius venia nec potest nec solet dari. Oritur impedimentum canonicum ex defectu qualitatis, quam lex in promouendis ad dignitates ecclesiasticas requirit. Designatio personae in Praelatum futurum per suffragia electorum facta, si illa *eligibilis* persona est, vocatur *postulatio* s. *electio extraordinaria*; 3) & suffragium ferentes in priori casu *eligentes in specie*, & in posteriori *postulantes* dicuntur.

B

Noli





Noli tamen credere, quod per solam *canonicam* electionem aut postulationem prouisio beneficii *perfecta* s. plena fiat, sed vt plenum effectum fortiatur, ex *filio Decretalium* in casu electionis Superioris *confirmatio*, & in casu postulationis Superioris *admissio*, accedere debet; nisi forte Superior deficiat, e. g. in electione *Pontificis* & Praelatorum imperii *immediatorum Euangelicorum*: vbi *sola electio* aut *postulatio canonica* plenam prouisionem continet.

Ius *confirmandi* electiones, & *admittendi* postulationes, *Archiepiscoporum*, *Episcoporum* & *Abbatum immediatorum* in *Germania catholicorum* in *Concordatis Germaniae* concessum & reseruatum est *Pontifici*; 4) intuitu *Praelatorum* vero & *Abbatum inferiorum* s. *mediatorum* ius *confirmandi* & *admittendi* penes *Episcopos*, ceu eorum *Ordinarios*, est: nisi forsan *postulatus* impedimento laboret *Pontificis* dispensationi *reseruato*, e. g. in *defectu natalium*; 5) quo casu res ipsa loquitur, adeundum simul esse *Pontificem*, vt *impedimenti* veniam det.


- 1) Si plura scire desideras, videsis Dn. PRAESIDIS *Opuscula iuris canonici*. (Giesae 1774. 8.) in quibus *primas lineas prouisionum beneficiorum ecclesiasticorum in genere* duxit. p 99. seqq.
- 2) Eiusmodi *breuia eligibilitatis* ad *plures* etiam *praelaturas* dari solent. *Breue* illud, quod ab INNOCENTIO XI. Duci *Bauariae* IOSEPHO CLEMENTI anno 1688., *sede Metro-*  
poli-

politica *Colonienſi* vacante, datum eſt, PFEFFINGERVS, PICHLERVS, REDN, MOSERVS, aliique, locis infra citandis, exhibent. Exempli cauſa *Breue eligibilitatis* a CLEMENTE XI. Epilcopo *Paderbornenſi* FRANCISCO ARNOLDO anno 1705. indultum ex *actis* ſuper electione *Monafterienſi* anno 1706. *Romae* impreſſis referimus,


### CLEMENS PAPA XI.

Venerabilis Frater Salutem, & Apoſtolicam  
Benedictionem.


Fraternitatis tuae in Nos, & Apoſtolicam Sedem Fides, & Deuotio, ac eximia Pietas, & Religio, aliaque Virtutum merita, quibus omnium bonorum largitor te multipliciter inſigniuit; Nos adducunt, vt te Apoſtolica benignitate libenter completamur: Itaque te ſpecialis fauore gratiae proſequi volentes, & à quibuſuis Excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdictionis, aliſſque Eccleſiaſticis Sententijs, Cenſuris, & poenis à iure, vel ab Homine, quauis occasione, vel Cauſa latis; Si quibus quomodolibet innodatus exiſtis, ad effectum praesentium duntaxat conſequendum harum ſerie abſoluentes, & abſolutum fore cenſentes; Supplicationibus tuo Nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, tibi, qui *Eccleſia Paderbornenſi* praefſe dignoſceris, vt ad alterutrum ex *Hildeſimen.*, & *Monafterien. Eccleſijs*, ad quas dum pro tempore vacat, Electio perſonarum idonearum illis in Epilcopos à Romano Pontifice pro tempore exiſtente ad Electionem huiusmodi praeficiendam, ad Capitula, & Canonicos ipſarum Eccleſiarum, iuxta concordata



ta dudum inter Sedem Apostolicam, & Inclitā Nationem Germanicā inita, vel Priuilegia eis desup̄ respectiue ab eadem Sede concessa legitime spectare dignoscitur: etiam si de illius gremio, ipsiusque Ecclesie Canonicus, ac iuxta illius Statuta, seu aliās debite qualificatus non sis, nec ibidem vocem actiuam, aut passiuam habeas, ac præactæ Ecclesie Paderbornensi præsis, *eligi libere, & licite valeas, itaut Electio de persona tua in Episcopum Hildesimensē, vel Monasteriensē, sic seruatis alijs seruandis faciēda, valida, & efficax sit, ac tibi suffragetur, & suffragari debeat*, eumque Consensum illi præstare possis in omnibus, & per omnia, perinde, ac si de gremio Capituli, & Canonicus Ecclesie huiusmodi, & iuxta illius Statuta, seu aliās debite qualificatus existeres, nec memoratæ Ecclesie Paderbornensi præses, Apostolica autoritate, tenore præsentium concedimus, & indulgemus, ac tecum desup̄ opportune dispensamus, decernentes easdem præsentē litteras quouis prætextu, etiam ex eo, quod Capitula Ecclesiarum præactarum, & quicumque alij interesse habentes, ad præmissa vocati non fuerint, nec illis consenserint, aut aliās ex quouis Causa, etiam quantumlibet legitima, nullo vnquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aut alio quouis defectu notari, impugnari, inualidari, retractari, aut in controuersiam vocari posse, sicque in præmissis per quoscumque Iudices Ordinarios, & Delegatos, ac Sanctæ Romanæ Ecclesie Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Apostolicæ Sedis præactæ Nuncios, sub-



sublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & autoritate iudicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis Autoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, non obstantibus præmissis, ac Apostolicis, & in Vniuersalibus, Prouincialibusque, & Synodalibus Concilijs æditis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus præactarum Ecclesiarum, & alijs quibusuis firmitate alia roboratis, Statutis, & Consuetudinibus, Priuilegijs quoque Indultis, & Litteris Apostolicis, eisdem Ecclesijs, earumque Præsulibus, Capitulis, & alijs personis, sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusuis, etiam derogatorijs, alijsque efficacioribus efficacissimis, & insolitis clausulis irritantibusque, & alijs Decretis, in genere, vel in specie, etiam consistorialiter, seu alàs quomodolibet in contrarium præmissorum, concessis, confirmatis, approbatis, & innouatis; quibus omnibus, & singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quavis alia expressio habenda, aut aliqua alia ex qua sita forma ad hoc seruanda foret; Tenores huiusmodi acti de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita obseruata exprimentur, & inserentur, præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permanfuris ad præmissorum effectum hac vice



ce duntaxat specialitèr, & expressè derogamus, cæterisque contrarijs quibuscunque. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die secunda Maji 1705. Pontificatus Nostri

Anno V.

N. Oliuerius.

Inscriptio.

Venerabili Fratri Francisco Arnoldo  
Episcopo Paderbornensi.

( Lobus Annuli )  
Piscatoris.

- 3) *Postulatio* hæc opposita *electioni in sensu speciali sumtæ vocari* solet *solemnis*, a qua differt *postulatio simplex & minus solennis*, qua electores implorant Superiorem, vt personam nullo quidem impedimento laborantem, eius tamen iurisdictioni subiectam, ad praelaturam admittat. c. g. si Religiosi ad Abbatiam alienam eliguntur. Finis huius postulationis est, vt Superior consentiat, personam, quæ suæ iurisdictioni subest, praelaturam, ad quam electa est, acceptare possit.
- 4) Singulari plane & notabili, qua nulli alii *Metropolitæ in Germania* eminent, prærogatiua Archiepiscopus *Salisburgensis* gaudet, vi cuius iure *confirmandi & admittendi*, non quidem quoad omnes *Episcopatus suffraganeos*, sed solum quoad *Episcopatus Gurcensem, Chiemensem, Secouensem, & Lauaninum* pollet MEZGERVS in *historia Salisburgensi* lib. VI. pag. 999. STEPHAN. RAYTENSTRACH in *Instit. iur. eccl. Germaniæ* T. I. §. 394.
- 5) c. 18. X. de *fil. presbyter.*

§. III.



## §. III.

CASVS DIVERSI QUOAD NUMERVM SUFFRAGIORVM IN NEGOTIO  
ELECTIONIS ET POSTVLATIONIS OCCURRENTES.

## VOTORVM DISTINCTIONES.

Antequam vltcrius progrediamur, non inutile erit, casus diuersos, qui, numero suffragiorum spectato, in electionis generatim sumtae negotio obuenerint, enumerare, eosque singulatim expendere, quo ipso futurae nostrae disquisitioni iusta ponetur methodus.

Igitur vel vnus candidatus adest, in quem omnium electorum vota conspirant, vel plures adsunt. Si prius, aut eligibilis, aut postulabilis est. Si posterius, aut duo adsunt candidati, aut plures. Si duo, vel vterque eligibilis, vel vterque postulabilis, vel vnus eligibilis & alter postulabilis est. Si plures, vel omnes eligibiles, vel omnes postulabiles, vel vnus alterue eligibilis & alius aliue postulabiles sunt.

Pro diuersis his casibus suffragia electorum esse possunt, vel vnanimia vel diuersa. Diuersa numerantur vel respectu habito ad capitulum, vel ad singulos candidatos. Si prius, vel spectatur totum capitulum vt fundatum & ordinatum est, i. e. tam quoad praesentes, quam absentes, electores, vel solum capitulum in negotio electionis praesens, seu vt congregatum est, i. e. soli capitulares in actu electionis praesentes, iure suffragii gaudentes.

In



In casu *diuersorum* votorum, vel *aequalia* sunt, vel *inaequalia*. Si *inaequalia*, vel *maiora*, vel *minora*. Si *maiora* vel *duplo maior*a vel *simpliciter maior*a.

Vota *inaequalia*, *maiora* & *minora*, talia esse possunt, vel respectu habito ad *capitulum*, vel ad singulos *candidate*s. Si prius, *vota absolute*; si posterius, *respectiue* talia dicuntur. Vota *maiora absolute* talia sunt quoque *maiora respectiue* talia: sed non *indistincte* vice versa. Si duo tantum *candidate*s adsunt, tum quidem respectu *vnus* maior, sunt quoque *absolute* maior; sed quando *plures*, quam duo, finguntur adesse *candidate*s, tum, si *vnus* maiorem votorum numerum habet, quam *reliqui* *competitores omnes*, *vota* quoque adsunt *absolute* maior. At *singulorum* *competitorum trium* aut *plurium* suffragia esse possunt *respectiue* maior, licet non sint *absolute* maior. Idem valet de *votis duplo maioribus*. Vota vero *aequalia* respectu *capituli*, talia quoque sunt intuitu *candidate*rum, & v. v. Sumamus electores 24, ex quibus 13. eligunt Titium, & 11. Caium; aut 13. Titium, 8. Caium, & 3. Tullium. Titius habet *vota absolute* maior. Si vero 12. eligunt Titium, 8. Caium & 4. Tullium, tum Titio suffragantur *vota respectiue* tantum maior. Si 16. eligunt Titium, & 8. Caium; aut 16. Titium, 6. Caium & 2. Tullium, tum Titio fauent *vota duplo maior absolute* talia. Si vero 14. eligunt Titium, 7. Caium & 3. Tullium, tum Titius


tius quidem habet vota duplo maiora respectiue talia,  
sed non duplo maiora absolute talia. Et sic porro.

§. IV.

FORMAE ELECTIONIS GENERATIM SVMTAE.

Quo autem recte intelligatur ad quam electionis formam nostra de numero votorum disputatio proprie pertineat, necesse est, vt varias electionis generatim sumtae formas canonicas repraesentemus, & ius, quod in qualibet earum circa numerum votorum obtinet, enucleemus. Tres vulgo numerantur formae s. viae s. modi eligendi vel postulandi, nempe per inspirationem, per compromissum & per scrutinium. 1) Electionem per sortes canones reprobarunt. 2)

- 1) c. 42. X. de elect. Ita omnes Canonistae. Sed displicet hoc GEORG. CHRISTOPH. NELLERO V. C. in *diff. I. de sacrae electionis processu* §. 5. n. 5. quae exstat in *Theaur. iur. eccles.* ab ANTON. SCHMIDT edito T. II. p. 715. Verba NELLERI haec sunt: *Vulgo dicunt, tres esse formas scilicet per scrutinium, compromissum & inspirationem. Sed hoc non probatur ex cap. 42. Postquam enim ibi propositae erant duae formae, scrutini & compromissi, statim subiungitur: aliter electio facta non valet. Additur exceptio casus extraordinarii: nisi forte communiter esset ab omnibus, quasi per inspirationem absque vitio celebrata. Exceptio haec non facit formam tertiam, sed ab observatione duarum praescriptarum formarum capitulares absoluit. — Sed res tanti non est momenti, vt litem illius causa NELLERO intendantus, Cui enim in mentem non venit peruulgatum*



gatum illud prouerbiū: *in verbis simus faciles, dummodo in re conueniamus.*

2) c. 3. X. de fortilégiis.

§. V.

ELECTIO S. POSTVLATIO PER INSPIRATIONEM.

Electio per *inspirationem* vel *veram* vel *quasi* fieri dicitur. Electio per *veram inspirationem* vocatur, quae a vera & immediata reuelatione diuina proficiscitur: cuius exempla ex antiquitate recensere solent. Per *quasi inspirationem* electio peragi censetur, quando omnium suffragia vnanimi consensu a diuino quasi spiritu excitato in vnum conferuntur, nulla interueniente praecua tractatione. 1) Nec in hac forma distinguitur, vtrum electa persona *eligibilis* sit, an *postulabilis*. Et cum *vnanimia* in vnum subiectum ferantur vota, frustra est de numero votorum disputare. Ceterum haec forma nostris temporibus neque vsitata, neque commendanda est. 2)

1) ANACLET. REIFFENSTVEL in *Iur. canon. vniuers.* lib. I. tit. 6. n. 46. seqq.

2) ZEGER. BERN. van ESPEN in *Iur. eccles.* P. II. tit. 21. c. 4. §. 9. — Haec (electio per *quasi inspirationem*) hodie reuera rara est, & fere nostris temporibus inaudita; multumque dubito, an facile esset admittenda & probanda, ne sub praetextu huiusmodi diuini impulsus, regulae electionum ab ecclesia praescriptae negligantur, & tumultuariis ac praecipitatis electionibus porta aperiatur. — & Celeberr. NEL-  
LERVS c. I. — In praxi non est tutum, quoad electiones,  
quae

quae confirmatione indigent, superiori laudare viam Spiritus sancti; parum enim erit, ut electio cassetur, propter id absque vitio: esset autem vitium, si vel minimus aliquis aliquorum tractatus, nedum votorum conquestio, praecessisset.

## §. VI.


## ELECTIO S. POSTVLATIO PER COMPROMISSVM.

Secunda forma eligendi (§. 4.) per *compromissum* vocatur, quando *vnanimi capitularium consensu* in vnum vel plures potestas eligendi ita transfertur, vt ab his designata persona, a toto capitulo electa censetur. 1) *Compromissarii indefinite ad eligendum constituti, postulare aliquem non prohibentur: nisi hoc nominatim in compromisso sit exceptum.* 2) *Ceterum si in plures compromissum est, & compromissarii dissentiunt, maiora vota respectu compromissariorum habito, indistincte valent, siue eligibilis cum eligibili, siue postulabilis cum postulabili, siue eligibilis cum postulabili concurrat.* Itaque nec in hac forma opera & diligentia nostra in definiendo votorum numero consideratur.

- 1) c. 8. 21. 30. 32. & 52. X. de elect. c. 37. eod. in 6. c. 29. de reg. iur. in 6.
- 2) c. 30. X. de elect. c. 11. X. de renunciat. REIFFENSTVEL c. l. lib. 1. tit. 5. n. 28. seqq. NELLERVS in *diff. de postulatione Praelatorum* §. 3. n. b. apud SCHMIDT in *Theaur. T. II. p. 746.*
- 3) c. 30. & 33. X. de elect. & omnes Canonistae. NELLERVS c. l. p. 748.

C 2

§. VII.



## §. VII.

## ELECTIO S. POSTVLATIO PER SCRVTINIVM.

Tertia, eaque vſitatiffima, eligendi *forma* eſt per *ſcrutinium*, cum omnium praefentium capitularium vota ſolenniter & ſecundum modum in c. 42. X. de *elect.* praefcriptum dantur & colliguntur, vt iuſto eorum numero perſona in Praelatum promouenda deſignetur. Et haec *ſcrutini* forma in diſquiſitione de *numero votorum*, ad quam nunc propius accedimus, ſemper intelligitur, quod ſemel monuiſſe ſufficiat.

## §. VIII.


REGVLA GENERALIS DE IVSTO VOTORVM NVMERO IN CANONICA  
ELECTIONE AVT POSTVLATIONE.

Vt *electio* aut *poſtulationis* canonice peracta dici & per *publicationem electionis* aut *poſtulationis communem* actus abſolui poſſit, inter alia requiritur, *iuſtum* ad eſſe votorum numerum in *vnam* perſonam conſpirantium. Sed quot vota deſiderantur? *Regulam* tene: *Quemadmodum in aliis capituli negotiis maiora vota vincunt*, 1) ita quoque in *electionis* aut *poſtulationis negotio* maiora totius praefentis capituli *ſuffragia* in *vnam* perſonam non indignam collata ſufficiunt. 2) Si ergo in *ſcrutinio* nulli candidato ſuffragantur *maiora* vota, actus eſt inutilis, & *ſcrutinium* nouum inſtitui debet, donec *maiora* emergant vota.

Dixi:



Dixi: *vota maiora*; vt sint quoque *saniora*, 3) id ad praesentem quaestionem non pertinet. Probe autem notes, ad existentiam *maiorum* votorum non praecise requiri, vt *integrum vnum* votum ultra semissem addit; e. g. capitulum praesens constat ex 16. electoribus, quo casu 9. suffragia efficiunt *maiora*; sed sufficit in *inaequali* electorum numero excessus *partis dimidiae vnius voti*: e. g. in casu 5. electorum, 3. vota; in casu 9. electorum, 5. vota; in casu 15. electorum, 8. vota erunt *maiora* &c. 4) Dixi porro: *vota maiora respectu totius capituli*. Ergo *absolute maiora* vota (§. 3.) i. e. quae plus, quam *semissem omnium* votorum efficiunt, requiruntur. 5) Igitur *vota maiora respectiue talia* (§. 3.) intuitu *singulorum plurium* competitorum computata, non concludunt, 6) nisi vbi id per specialem obseruantiam receptum est. 7) Exempli causa: Ex 16. electoribus Caio suffragantur 8., Titio 6. & Tullio 2. Adfunt quidem *maiora respectiue*, sed non *absolute talia*. Deinde per *capitulum praesens* intelligo illos capitulares praesentes, qui *iure suffragii* pro *hac vice* ex *causa speciali* non priuantur. Nam si eiusmodi casus adesset, illi capitulares, qui *ius suffragii* amiserunt, non computantur, sed ius eligendi penes *solos* reliquos capitulares *innocentes* est, & horum numerus in pluralitate votorum, si discrepant, determinanda vnice considerandus erit. Quae obseruatio insignem praebet vsum, vt infra (§. 10.) demonstrabimus. Dixi denique: *respectu capituli praesentis*, i. e.



*vt congregatum, non vt fundatum vel ordinatum est,*  
 ita vt nec absentes, legitime quidem vocati, sed ne-  
 que in propria persona, neque per procuratorem,  
 quando hic admittitur, comparentes, connumerari de-  
 beant. 8) Dixi denique: *in vnā personam non indi-*  
*gnam collata; nam indigno s. impostulabili, (§. 3.) vna-*  
*nimia etiam suffragia nihil auxiliantur: imo indignum*  
*sciēter eligentes aut postulātes ius suffragii pro hac vi-*  
*ce amittunt.* 9) Postremo haud omittenda est Cele-  
 berr. NELLERI 10) obseruatio: *in omnibus iuris ca-*  
*nonici textibus nunquam occurrere casum, vbi tres aut*  
*plures competitorcs adfuerint, sed semper mentionem fe-*  
*ri duarum partium. Ratio, quam adiicit NELLERVS:*  
*quia alterutra trahit ad se illos, qui nullam aliam ele-*  
*ctionem fecerunt, neque vniuersalis est, neque solida.*  
 Et de eiusmodi attractione omnes silent canones. In  
 eo causam latere mihi videtur, quia perinde est, si-  
 ue duos siue plures candidatos adesse fingas, semper  
 enim numerus maiorum votorum computatur respectu  
 capituli praesentis; igitur si his vnus candidatorum in-  
 structus est, is vincit, siue reliqua minora vota in  
 vnum collata, siue in plures dispersa sint; aut si re-  
 spectu competitorum numerum votorum aestimare ve-  
 lis; si vnus candidatorum maiora adeptus est suffra-  
 gia respectu omnium competitorum, tum victor disce-  
 dit, siue vota minora vni faueant, siue pluribus. Ea-  
 dem quoque argumentandi ratio valet in iis singula-  
 ribus casibus, vbi duplo maiora requiruntur, & vbi  
 minora





minora palmam ferunt; de quibus postea dicendi locus erit.

- 1) c. i. X. de his quae sunt a maiore parte cap. l. 19. D. ad municipal.
- 2) c. 10. 42. 48. 50. & 55. X. de elect. c. 23. eod. in 6.
- 3) c. 42. 57. X. de elect. Bene monent RAVTENSTRAVCHIVS c. l. §. 724. not. 3. Hodie si pars maior capituli in aliquem consentit, hoc ipso & sanior esse pars censetur, ne alioquin occasio detur litigii difficilem habiturus exitum. Unde enim, utra pars sanior sit, semper discernas? — & NELLERVS apud SCHMIDTIVM c. l. p. 717. Diutina praxis attendit maiora tantum vota, ne, si tam rigorosum sanioritatis examen fieret, longae lites suscitarentur. Et ita quoque alii Canonistae sentiunt.
- 4) REIFFENSTVEL c. l. n. 139. NELLERVS c. l. p. 722.
- 5) c. 29. 42. 48. 50. 57. X. de elect. c. 23. eod. in 6.
- 6) c. 29. 48. & 50. X. de elect.
- 7) Notat ZYPAEVS in *Anat. iur. pontif.* lib. 3. tit. II. in aliquibus capitulis sufficere maiora vota comparatione singularum partium minorum. At omnes Canonistae hanc obseruantiam ad illa capitula, in quibus viget, restringendam esse docent.
- 8) c. 19. 29. 48. de elect. Et haec est communis sententia. Solus, quantum scio, FRANCISCVS SCHMALZGRVERVS in *iur. eccles.* lib. 1. tit. 6. n. 49. contrarium statuit: at sine lege.
- 9) c. 40. 53. X. de elect.
- 10) NELLERVS apud SCHMIDT, T. II, p. 750.

§. IX.





## §. IX.

EXCEPTIONES, VBI DUPLO MAIORA VOTA DESIDERANTVR.

Exposui & illustraui *regulam*, secundum quam is vincit, cui vota *maiora absolute talia* fauent. Aliquando vero nec *maiora* victoriam operantur, sed *duplo maiora* requiruntur. Duplo inquam *maiora* i. e. *duae tertiae* votorum *respectu toties capituli praesentis*; aut quod idem est in casu *duorum* candidatorum, *alterum tantum* votorum *respectu concurrentis* candidati; aut in casu *trium pluriumue* candidatorum, *alterum tantum* votorum *respectu omnium* reliquorum competitorum. (§. 3.) Duplo *maiora* vota in electione *Pontificis* victoriam consequuntur. 1) Idem quidam Canonistae in electione *Abbatissarum* statuunt: quamvis res non sit extra controuersiam. 2) Denique *postulabilis* cum *eligibili* concurrens dum demum palmam accipit, si vota *duplo maiora* illi suffragantur; 3) de quo casu plura infra dicemus.

1) c. 6. X. de *elect.* c. 9. *eod.* in 6.2) c. 43. de *elect.* in 6. REIFFENSTVEL c. l. n. 150. VITVS PICHLER. in *iur. canon.* lib. 1. tit. 6. n. 78. & omnes Canonistae ad *tit.* X. de *elect.*3) c. 40. X. de *elect.*

## §. X.


EXCEPTIONES, VEL MINORA VOTA VINCUNT.

*Regulariter* partis capituli *maioris* sententiam *praeualere* diximus. (§. 8.) Sed aliquando *minor* pars vincit. *Vni-*

Vnicum ego tantum admitto casum, nempe: si eligibilis cum postulabili concurrat, & huic vota duplo maiora non fauent, ille vero ultra vnam tertiam votorum totius capituli praesentis habet. 1) Quam speciem infra vberius tractabimus. Casus alios exceptos, quos Clariss. NELLERVS 2) adduxit, ego non agnosco. Sunt hi: a) Si pars maior scienter elegerit aut postulauerit indignum; 3) b) Si pars maior talem elegerit, qui debuisset postulari; 4) c) si pars maior postulato dedisset administrationem ante postulationis admissionem. 5) Non quidem diffiteor, quod haec exceptiones iis forte arridere queant, qui quasi per nebulam rem adspiciunt. At si intentis oculis haec exceptiones intuemur, atque de iis subtiliter & explore iudicamus, in fumum abeunt. Nimirum in tribus illis, a NELLERO relatis, casibus pars capituli nocens iure suffragii pro hac vice priuatur, iure eligendi penes solos innocentes remanente. Ergo in computando iusto votorum numero non respiciendum ad partem capituli nocentem, sed ex numero innocentium capitularium definiendum est, vtrum adsint maiora respectu capituli praesentis innocentis, quippe quod solum iure eligendi nunc gaudet. (§. 8.) Vincit itaque, quae antea erat, minor capituli pars, non quae minor, sed quae nunc maior, imo euenire potest, vt nunc minoris partis vota constituent vnanimia. e. g. si 16. capitulares scienter elegerunt indignum, & 8. dignum. In hoc casu ius & potestas capituli remanet

D


penes



penes 8. capitulares *innocentes*, & ab his electus *vanimibus* capituli totius suffragiis designatus videtur. Et ex his principiis maioris momenti quaestiones, quas NELLERVS 6) indecisas relinquit, facile deciduntur. Si enim *non omnes* partis maioris nocentis capitulares delictum participant, aut si reliqui *innocentes* capitulares vota sua in *plures* disperferunt personas, tunc semper ad id respiciendum est, vtrum pro numero omnium *innocentium* capitularium suffragia *maiora* in *vnam* personam conspirent, an, in casu quo *postulabilis* cum eligibili concurrit, illi faueant *duplo maiora*, vel hic *ultra vnam tertiam* habeat? Quod si horum neutrum est, nulla pars vincit, sed *nouum scrutinium* a capitulo *innocente* institui debet. e. g. Ex 12. capitularibus 10. postulauerunt *indignum*, & ex his 6. scienter, 4. ignoranter, reliqui autem 2. elegerunt *dignum*. Actus plane inutilis est. Similis est hic casus: Ex 12. capitularibus 7. postulauerunt *indignum*, & ex his 4. scienter, 3. ignoranter, ex reliquis 3. elegerunt Titium, 2. Caium. Nam *innocentes* capitulares sunt 8., ergo neque Titio neque Caio fauent *maiora*. Porro: ex 17. capitularibus 9. postulauerunt *indignum*, & ex his 7. scienter, 2. ignoranter, 6. postulauerunt *dignum*, & 2. elegerunt *dignum*. Dignus ille *postulatus* habet quidem *maiora*, sed non *duplo maiora*, & *electus dignus* non habet *ultra vnam tertiam*. Ergo totus actus est inutilis. Sed sumas: ex 12. capitularibus 9. postulauerunt *indignum*, & ex his 7. scienter, 2. igno-

2. ignoranter, reliqui 3. elegerunt Titium; quo casu Titius vincit, quia maiora habet vota. Et sic in similibus.

- 1) c. 40. X. de elect.
- 2) NELLERVS apud SCHMIDT T. II. p. 718.
- 3) c. 40. & 53. X. de elect.
- 4) c. 22. X. de elect.
- 5) c. 23. X. de elect.
- 6) Pontifex in c. 40. X. de elect. ita decreuit: *nisi forsan omnes, aut maior pars postulantium praesumptione damnabili, postulaerint scienter indignum, vt hac vice merito debeant eligendi seu postulandi potestate priuari. Et hoc quoque casu electionem confirmes, si eam de persona idonea constiterit celebratam.* Ad haec verba in hunc modum commentatur NELLERVS apud SCHMIDT. T. II. p. 751. *Non est difficultas, si omnes, propter regulam communem, qua vis Capitularis remanet penes solos innocentes. At cur, si maior pars postulantium scienter elegisset indignum, minor cum ea punietur amissione vocis? Nonne delicta suos tenere debent authores, & capita singula, neque in delictis maior pars capituli trahit ad se minorem? Ita est. Textus cit. non facit ius, aut regulam in thesi, & pro quouis casu, sed in hypothesi illius capituli minor postulantium pars ita erat debilis, vt, licet ei saluum mansisset ius eligendi de nouo, pars altera pariter innocens nihilominus semper fecisset maiora.* Hypothesin vero illam sic statuit PANORMITANVS: in electione illa Constantinopolitana electores erant 16., postulantes ad plus erant 32, tunc si maior pars horum scienter postulasset impotulabilem, non potuerunt ignoranter postulantes esse



ultra 15., quia scienter postulant ad minus fuissent 17., ut figuretur maior pars de 32. Sed 15. vincuntur a 16., si 15. eligant, & eo amplius si postulent. Ita sane ad hypothefin illius capituli particularem sumenda sunt verba INNOCENTII III., ne delabamur in absurda. Quid enim, si canonici fuerint 12., 10. indigne postulauerint, & ex his 6. scienter, 4. ignoranter, 2. vero eligissent dignum? An confirmabitur hoc casu electio duorum, qui de sex innocentibus vniam solam tertiam efficiunt? Item: sint vniuersim 40., vnus solus elegisset, reliqui 39. postulassent indignum; & inter hos 21. scienter, 19. ignoranter: an vnus solius electio confunderetur, ita, ut illis 19. contra communes iuris regulas praeponderaret vnus? Talem exorbitantiam non videtur vno paucorum illorum verborum ictu introducere voluisse aequissimus INNOCENTIVS.

### §. XI.

CASVS SPECIALES RECENSENTVR.

#### I. SI VNVS CANDIDATVS ADEST.

His, vti credimus, pro instituti nostri ratione, factis expositis, nihil nos impedit, quo minus ad casus speciales, in §. 3. recensitos, progrediamur. Et primo quidem, si omnes capitulares vni suffragantur, tum sane victoria nihil difficultatis habet, siue candidatus sit eligibilis, siue postulabilis.

### §. XII.

#### II. SI DVO AVT PLVRES CANDIDATI ADSVNT EIVSDEM QUALITATIS.

Deinde si plures adsunt candidati eiusdem qualitatis, tum siue duo sumas, siue plures, & siue eligibiles


les cum eligibilibus, siue postulabiles cum postulabilibus concurrant, regula (§. 8.) vim suam tuetur, isque victor existit, cui vota absolute maiora fauent. 1)

- 1) Et de eo nullus dubitat *Canonista*. Nec contrarium in casu, quo postulabilis cum postulabili concurrit, ex c. 3. X. de *postulat. praeclar.* elici potest. EMANVEL. GONZALEZ. TELLEZ. in *Commentar. in Decretal.* ad c. 3. de *postul.* HENRIC. WAGNERECK in *Commentar. exeget. SS. Canonum* ad c. 3. X. de *postul.*

### §. XIII.

#### III. SI DVO AVT PLVRES CANDIDATI DIVERSAE QUALITATIS CONCVRRVNT.

Denique si plures concurrunt diuersae qualitatis candidati, siue duo, siue tres &c., & siue vnus postulabilis cum pluribus eligibilibus; siue vnus eligibilis cum pluribus postulabilibus, siue plures eligibiles cum pluribus postulabilibus concurrant, tum vel de postulabili, vel de eligibili, palmam accepturo, & quot suffragiis ornatus esse debeat, sermo est. At quot in hoc casu vota requiruntur, vt vel eligibilis, vel postulabilis, victoriam reportet? Haec nobilis quaestio nos ad grauissimas *Canonistarum* controuersias ducit. Antequam vero fautores cuiusque sententiae nominatim in scenam producamus, & quae pro qualibet pugnant, rationes expendamus, necesse omnino est, vt legem, quae quasi fundus vnicus huius controuersiae est, oculis lectorum subiiciamus, & facta s. species, quae



quae contigerunt, repraesentemus, quo eo solidius & tutius arbitrari quilibet possit.

§. XIV.

CAPITVLVM XL. X. DE ELECTIONE.

*Legem, quae de concursu electionis & postulationis, & de iusto votorum numero in eiusmodi concursu necessario, disponit, in toto corpore iuris canonici habemus unicam, epistolam nempe decretalem INNOCENTII III., relatum in c. 40. X. de elect. vbi ita sonat: I)*

INNOCENTIVS III. *Magistro Maximo Notario nostro*  
(ann. 1212. Sigua Constantinopolim)

*Scriptum est in Apocal. Ioan. quod in medio (sedis) & in circuitu sedis erant quatuor animalia: (&c.) (& infra) Sane ad hanc ecclesiam, scilicet Constantinopolitanam, duo animalia sunt vocata, vnam plena oculis, & alas habentia senas, videlicet (ven. fr. n.) Eradiensis archiepiscopus, & (dil. fil.) Plebanus sancti Pauli de Venetiis, sicut per procuratores tam postulantium Archiepiscopum, quam eligentium Plebanum fuit propositum coram nobis: (& infra.)*

*Verum quia de his, quae per assertionem partium in iudicium deducta fuerant, nobis non potuit fieri plena fides i quamvis super his, quae de numero dicta sunt postulantium, per quoddam instrumentum publicum, nec non per confessionem procuratoris aduersa partis in iudicio (quidem) factam, sed postea reuocatam, pars altera assereret suam intentionem esse fundatam: causam discretioni tuae duximus committendam,*





*dam, per apostolica scripta mandantes, quatenus super his & aliis inquiras diligentissime veritatem, de meritis electi & postulati apud Venetias, ubi nati fuerunt, & diutius conuersati. De studiis autem eligentium & postulantium, & omnibus generaliter, quae causam possunt instruere apud Constantinopolim, ubi huiusmodi postulatio & electio celebratae fuerunt, & si partes consenserint, procedas hoc modo, ut si consiterit de mutuo conuenisse consensu, quod ad electionem patriarchae septem admitterentur praepositi, siue per seipsos, siue per alios, & duo alii ex parte vniuersitatis pro caeteris conuentualium ecclesiarum praelatis, totque tunc temporis conuentuales ecclesias habuisse praelatos, quod cum septem praepositis & nouem canonicis, quos quidem canonicos constat in postulatione praefati archiepiscopi conuenisse, duplo maiorem facerent numerum, quam sexdecim electores Plebani, tunc vice nostra postulationem admittas: nisi probatum fuerit, postulato aliquid obuiare de canonicis institutis, quod promotionem ipsius debeat impedire, ac Plebani electione cassata, ipsum archiepiscopum absolvas a vinculo, quo Eradiens. ecclesiae tenetur, concedendo ipsum Constantinopolitanae ecclesiae in pastorem. Quod si ad faciendum duplo maiorem numerum simul omnes praedicti minime sufficerent; siue dignus siue indignus fuerit postulatus; tu postulatione repulsa, electionem plebani auctoritate nostra confirmes: dummodo nihil obstat eidem, quod ipsum tanto praesulatu reddat indignum.*

*Si vero numerus postulantium inuentus fuerit duplo maior, quemadmodum praedictum est, & persona postulata reuera fuerit indigna; ut tam postulationem, quam electionem non differas reprobare: nisi forsan omnes, aut maior pars postulantium, praesumptione damnabili, postulauerint scienter indignum, ut hac vice merito debeant eligendi seu postulandi pot-*




*potestate priuari. Et hoc quoque casu electionem confirmet, si eam de persona idonea constiterit celebratam.*

- I.) Hanc epistolam non demum RAYMUNDVS, sed ipse iam INNOCENTIVS, in cuius Decretalium collectione *secunda*, ab ANTONIO AVGVSTINO in *Collect. antiq. Decretalium* edita, exstat, omissis & refecatis allotriis & superfluis aliis multis, quibus epistola luxuriabatur, abbreviauit. Integram exhibet STEPHANVS BALVZIVS in *Epistolarum INNOCENTII III. lib. XV. n. 156. Tom. II. p. 672. seqq.* & GONZALEZ *Commentar. in Decret. T. I. p. 336.* Ne taedium lectoribus creemus, longam hanc epistolam exhibere integram noluimus. Quid enim iuuat, si scias, ex INNOCENTII III. sententia per illa quatuor animalia in *Apocalypsi* quatuor patriarchales ecclesias, *Alexandrinam, Antiochiam, Ierosolymitanam & Constantinopolitanam* designari? Historia *liris Constantinopolitanae* abunde patet ex ipso *textu* conf. ANTON. DADIN. ALTESERRA in *Commentario ad Decretales Innocentii* p. 98, seqq. & GONZALEZ c. 1.

### §. XV.

DVBIA CONTRA HANC EPISTOLAM DECRETALEM MOTA.

Disimulandum autem non est, epistolam hanc decretalem variis premi difficultatibus. Obiici enim solet, I. epistolam illam non continere *ius commune* in omnibus casibus similibus obseruandum, sed specialem tantum constitutionem, pro casu illo *Constantinopolitano* particulari; II. decisionem INNOCENTII fundari potissimum in *consensu electorum*, qui simul postulationem & electionem superiori praesentarunt, atque eo ipso




ipso consentire censentur, vt vel postulatio ipsorum admittatur, vel aliorum electio confirmetur; secus vero esse, si vtraque pars suae electioni & postulationi insistat, ac illa *confirmationem electionis*, haec vero *admissionem postulationis*, quasi de iure debitam, vrgeat; hoc enim casu, reiecta *electione minoris partis*, admittendam esse *maioris partis postulationem*; idque probare verba textus: *si partes consenserint --- si constiterit de mutuo conuenisse consensu*. III. epistolam hanc INNOCENTII III. de anno 1212. sublatam esse per c. 42. X. de *elect.*, quod generalem regulam statuit: *maiora vota absolute talia vincere in quauis electione & postulatione*; IV. cap. 40. *cit.* in *Germania* non valere, cum anno 1456. in Archiepiscopatu *Treuirensi* casus adfuerit, in quo *postulabilis*, qui saltem *maiora* vota habuerit, *eligibilem* vicerit, & a Pontifice admittus sit. 1)

Sed has obiectiones omnes vno icu prosternit constans *Romanae curiae praxis*, iuxta quam in obuenientibus casibus secundum cap. 40. X. de *elect.* decisio facta est, idque etiam in *Germania* valere, recentioris aetatis exempla in §. 17. alleganda probant. Deinde respondetur, ad I. de vi & valore generali cap. 40. *cit.* corpori iuris canonici iussu GREGORII IX. inserti frustra disputari; ad II. verba textus: *si partes consenserint*, hunc tantum sensum habere, vt partibus, quoad *decisionem causae*, Commissarium recusare liceat; illa vero verba: *si constiterit de mutuo conuenisse consensu*, in-

E

dubie



dubie intelligenda esse, de septem Praepositis & aliis extraneis, qui non erant de capituli gremio, in negotio electionis ad ius suffragii admittendis; ad III. *cap. 42. cit.* non loqui de casu *concurrentis electionis & postulationis*, & legem generalem posteriorem non derogare legi priori *speciali*; & cum iam dudum ante *cap. 40. per regulam* generalem omnibus capituli actibus praescriptam fuerit constitutum: *in electionibus vincere vota maiora*: ab hac vero regula, quae prius exstiterit, exceptio in *cap. 40. cit.* facta sit, omnino dicendum esse, saluam mansisse *exceptionem*, licet per legem *posteriorem generalem* renouata sit *regula*; ad IV. casum *Treuirensis* male huc trahi, quia tunc non praesentata fuerit Papae vna cum postulatione electio; sed, postquam *postulantes* prima vice nequieverint concordare cum *eligentibus*, tandem vtraque pars consenserit in *compromissum*; Compromissarii vero vnanimiter postulauerint IOANNEM, DIETHERO non *iuxta eum electo*. 2)

- 1) Post *Glossam* ita sentiunt PAUL. LAYMANN in *Quaest. can. de Praelat. eccles.* qu. 7. PETR. MART. PASSERINVS in *tr. de elect.* c. 24. qu. 15. ERNIC. PIRHING in *Jur. can.* lib. I. tit. 5. n. 18. LVDOV. ENGEL. in *Colleg. iur. can.* lib. I. tit. 5. n. 6.
- 2) VITVS PICHLERVS in *iure canon. praetice explicato* P. I. p. 31. seqq. ANACLET. REIFFENSTVEL c. I. lib. I. tit. 6. n. 157. seq. PLACIDVS BOECKHN in *Commentar. in ius canon.* lib. I. tit. 5. n. 41. seqq. FRANCISC. SCHMIER in *Jurispr. can. civil.* T. I. p. 373. NELLERVS apud

apud SCHMIDT. T. II. p. 748. & omnis fere Canonistarum cohors.

§. XVI.

RATIONES HVIVS DECRETI.

Quod ad rationes, quibus hoc pontificium *decretum* innititur, attinet, id quidem secundum illius tenorem extra omnem controuersiam positum est, INNOCENTIVM nouum plane ius haud voluisse constituere, sed secundum ius, quod erat, decreuisse. Quibus autem *iuris veteris* rationibus nixus eo, quo factum est, modo decreuerit INNOCENTIVS, non adeo expeditum est, & plures ab interpretibus afferri solent rationes, inter quas illa, quam PROSPER. FAGNANVS 1) ex HOSTIENSE laudat, quod nempe in *postulatione* sit plus de *aqua* quam de *vino*, plane ridicula est. Rectius sentire videntur illi, qui has proferunt rationes: *electionem* esse viam *ordinariam*, & *iustitiae* innitentem, ideoque *fauore* dignam, *postulationem* contra esse viam *extraordinariam*, *gratia* superioris indigentem, & *odiosam*, admittendam tamen, si *duplo maiora* capituli vota *postulabili* faueant, quia in *duabus partibus* potentia Capitularis s. Vniuersitatis consistat; 2) Si vero *postulabilis* non habeat *duplo maiora*, sed *eligibilis ultra vnam tertiam*, tunc aliquid reperiri de potentia capitulari ex parte *eligentium*, ideoque *electionem* hoc casu confirmandam esse. 3)

1) in *Commentar. ad Decretal.* T. I. p. 280. n. 59.

E 2

2) arg.



- 2) arg. l. 3. & 4. D. quod cuiusque uniuersit. nomine.
- 3) *Glossa* ad c. 40. X. de elect. ANACLET. REIFFENSTVEL  
c. l. lib. I. tit. 6. n. 153. VITVS PICHLER c. l. ALTE-  
SERRA c. l. p. 100. FRANCISC. SCHMIER in *Iurispr.*  
*can. ciuil.* T. I. p. 37. n. 141.

## §. XVII.

## EXEMPLA IN GERMANIA.

Antequam ulterius progrediamur, circumspicien-  
dum nobis est, quale ius in casibus eiusmodi concur-  
sus obuientibus in Germania obtinuerit. Duos re-  
perire potui. *Primus* contigit in Archiepiscopatu Co-  
loniensi anno 1688. In scrutinio praesentes erant Ca-  
pitulares 24., nempe 23. in persona, & 1. per procu-  
ratorem; 9. eligebant Ducem Bauariae IOSEPHVM  
CLEMENTEM, qui breue eligibilitatis impetrauerat;  
13. postulabant Cardinalem & Episcopum Argentinens-  
em EGGONEM a FÜRSTENBERG, qui frustra breue  
eligibilitatis Romae petierat; 1. eligebat Ducem Neo-  
burg. ANTON. LVDOVICVM & 1. eligebat GOBERTVM  
Comitem de ASPERMONT & RECKHEIM. Vicit  
electus postulatum iudicio Romae, quia ultra unam ter-  
tiam votorum habuit. 1) *Alter* casus recentior est, &  
ad Abbatiam Corbeiensem pertinet, in qua anno 1737.  
praesentibus in Scrutinio 25. capitularibus, 13. postu-  
larunt L. B. de FÜRSTENBERG, 12. autem elegerunt  
L. B. de BOESELAGER. Pontifex repulsa postulatio-  
ne, electionem confirmavit. 2)

1) *Alia*

1) *Acta publica* ad hanc illustrem controuersiam pertinentia exhibent LONDORPIVS in *Act. publ.* T. XIII. & XIV. PEEFFINGERVS ad VITRIARIVM T. I. lib. I. tit. 14. n. 5. IVSTVS REDN in *Oper. can. pol. de electione* T. I. p. 7. seqq. Perill. IOAN. IACOB. MOSERVS im teutschen Staatsrecht T. XI. c. 38. *Causam Bavariae Ducis* ex instituto defendunt ZACH. de BONA CASA in *Consultatione super controuerso Archiepiscopatu & Electorata Colonensi &c.* Col. 1690. 4. REDN c. I. VITVS PICHLER in *iure canon practice explicato* T. I. p. 31. seqq. IO. NICOL. HERTIVS in *controuersia de electione archiepiscopali Colonensi.* Exstat in EIVS *Commentat. & Opusculorum* V. I. T. II. p. 326. seqq.

2) NELLERVS apud SCHMIDT T. 2. p. 747.

### §. XVIII.

QUOT VOTA REQUIRANTVR, VT POSTVLABILIS CVM ELIGIBILI  
CONCURRENS VICTOR SIT?

Nunc omnia praeparata sunt, vt ad controuersias quaestiones, quot instructus votis *postulabilis*, & quot votis *eligibilis*, in concursu victor sit? progredi illasque dirimere queamus; & primum de *postulabili*, deinde de *eligibili* verba sumus facturi.

In eiusmodi concursu vel duo tantum adsunt candidati, vnus *postulabilis*, & alter *eligibilis*; vel plures adsunt, ita vt *postulabilis* aut concurret cum pluribus *eligibilibus*, aut cum pluribus diuersae qualitatis e. g. *eligibili* & *postulabili*, vel *eligibilibus* & *postulabilibus*.



In priori casu, si nempe vnus postulabilis cum vno eligibili concurrat, vnanimis omnium Canonistarum sententia eo redit, vt postulabilis tum demum victor discedat, si vota duplo maiora absolute talia ipsi fauent. Idque ex ratione arithmetica aliter statui plane non potest: nam in eiusmodi casu, si postulabili non fauent vota duplo maiora, eligibilis habet ultra vnam tertiam, & hic (supposito tamen, actum scrutinii non plane esse inutilem, & postulabilem saltem habere vota maiora simpliciter talia. vid. §. XX.) palmam fert.


In posteriori quoque casu, si in plures quam duo candidatos diuersae qualitatis vota disperguntur, ex communi Canonistarum sententia, postulabilis non vincit, nisi vota duplo maiora absolute talia ipsi faueant. Duo tamen recentiores iique insignes Canonistae, quibus praecipua laus debetur, quod hanc materiam aliorum exemplo leui brachio non attigerint, sed diligenter & studiose examinauerint, contrariam sententiam amplexi, & vota duplo maiora respectiue talia sufficere arbitrati sunt.

Primus eorum est PLACIDVS BOECKHN, i) cuius argumenta, ad alteram quoque quaestionem, in sequenti discutiendam, simul pertinentia, his concepta sunt verbis: *Vt mentem nostram, quamuis neminem consentientem nouerimus, libere explicemus, videtur nobis; neque semper duas tertias, comparatione ad totum Capitulum instituta pro substantia, postulationis, neque semper vnam*





nam talem tertiam pro valore electionis desiderari; sed  
comparationem solum inter vota ipsorum postulantium &  
eligentium faciendam; & proin satis esse, si numerus  
certam personam postulantium sit duplo maior numero  
aliam personam eligentium, vicissim vero ad electionem  
sufficere tot vota, quae a postulantibus non excedantur  
in duplo, tametsi non constituent vnam tertiam ipsius  
Capituli. Id tamen sic intelligimus quoad priorem par-  
tem, ut postulantes iuxta regulam communem semper sal-  
tem maiorem partem quoad totum Capitulum faciant.  
Declaramus assertum per exempla. Ponas 24. habentes  
& exercentes ius suffragii: 14. (qui utique nondum duas  
tertias expleat relate ad Capitulum) postulant Titium,  
7. eligunt Caium, 3. reliqui in alium coniiciunt vota:  
hic censemus admittendam esse postulationem Titii, cum  
vota in duplo vincant electionem Caii. In casu conuerso,  
si 13. postulent Titium, 7. eligant Caium, 4. alii in  
alios vota dispergant, confirmanda erit electio Caii, quae  
quidem non facta est ab vna tertia totius Capituli, sed  
tamen duplo non exceditur a postulantibus. Ratio nostra  
est ex d. c. 40. ubi ita Pontifex Maximo Notario mandat:  
si postulantes Archiepiscopum duplo maiorem facerent  
numerum, quam 16. electores Plebani, tu vice nostra  
postulationem admittas: quod si ad faciendum duplo  
maiorem numerum simul omnes praedicti minime suf-  
ficerent, postulatione repulsa electionem Plebani aucto-  
ritate nostra confirmes. Aperte hic Pontifex compara-  
tionem inter ipsos postulantes & eligentes saltem fieri  
vult:




vult: nec quidquam dicit, vota postulantium respectu ipsius Capituli duas tertias efficere debere. Et similiter non statuit, numerum constare debere una tertia Capituli, sed indefinite ait confirmandam electionem, si numerus postulantium non fuerit alterum tantum. Quia ergo in nostris exemplis praescriptae conditiones occurrunt, non est, ut aliam textu haud expressam nos addamus. Respondet nonnemo, esse verosimile, quod 16. vota eligentium in casu textus tertia pars fuerint, vniuersim 48. vota. Verum id prorsus diuinatorium est, nulloque in verbo fundatum: ut adeo ex coniectura tam incerta non possit certa conditio statui. Sane Pontifici nequidem constituisse de vero numero omnium, qui ad electionem s. postulationem illam concurrebant, aut ius concurrendi habebant, ex ipso textu apparet. Et hinc Pontifex cum nondum plene eo de re esset informatus, sciens saltem, 16. votis electum esse Plebanum, Maximo commisit, ut numerum ceterorum exploraret, & modo supra dicto procederet. Non ergo supponebat pro indubitato, praecise 48. omnes fuisse, sed ignorabat adhuc, an non essent pauciores vel plures. Sin vero vel uno plures fuissent, 16. iam non erant tertia pars respectu omnium. Igitur dum iussit confirmari electionem, si pars altera duplo non esset maior, eam in illa quoque hypothesi, qua 16. non essent pars tertia, sustineri voluit. Atque hinc nec vicissim ad postulationem cum electione conuenientem determinate requiruntur duae tertiae absolute tales; quod in textu etiam non dicitur. Et cum de iure alias sufficiant maiora aequae ad postulationem,

tionem, quam ad alios actus vniuersitatis, huic regulae, quo minus fieri potest, in casu excepto concurrentis electionis derogandum est, si textus excipiens id patiatur. Nos vero clare ostendimus, saluari dispositionem textus in cit. cap. 40. tametsi postulantes non ascendant ad duas tertias Capituli; cum nihilominus duplo egredi possint vota eligentium. Nec replices, nimium inde probari; quandoquidem & accidere potest, si magna votorum sit discordia, ut postulantes etiam, dum non faciunt maiora, electionem nihilominus in duplo excedant. Dicimus quippe, id Pontificem iam tacite subintellexisse, utpote iuris notissimi, si vota tamen fuerint simpliciter maiora. Atque id omnino verosimiliter praesumere, aut forte ex circumstantiis certo colligere potuit Pontifex, quod in casu sibi proposito ius voti habentes non fuerint ultra 63.: ut adeo, si postulantes Archiepiscopum duplo plures fuissent, quam 16. eligentes Plebanum, illi iam effecturi fuissent maiora relate ad omnes. ---

Alter, quem laudauimus, Canonista est GEORG. CHRISTOPH. NELLERVS 2) qui BOECKHNIO ad stipulatur his verbis: Sufficit, quod postulantes sint maior pars Capituli diuisi, eligentes vero pars minor, quodque postulantium numerus sit duplo maior numero eligentium. Ratio est, quia cap. 40. de elect. per haec duo satisfit: nam delegatus Apostolicus ibi non iubebatur inquirere, an adsint duae tertiae totius Capituli Constantinopolitani, sed an postulantes duplo maiorem numerum

F

merum




merum facerent, quam eligentes. *Casus figurari debet in tribus factionibus sic: Sunt 24. votantes, 7. eligunt, 14. postulant, 3. vota dispergunt, siue eligendo, siue postulando, diuersum. Dico, postulationem praeualere electioni; quia pro primo adsunt maiora Capituli, vt hoc censeatur postulasse; pro secundo 14. postulantes sunt duplo plures, quam 7. eligentes. Ultra nihil in iure requiritur: cumque cap. 40. cit. aliquid statuatur contra regulam de maiori parte capituli praeualente, non debet ultra expressa extendi; non est autem idem dicere: numerus postulantium debet esse duplo maior numero eligentium, & dicere: numerus postulantium debet habere duas tertias respectu totius Capituli.*

Imo NELLERVS plus defendere audeat, dum ad quaestionem, ab ipso motam: cui parti hoc casu connumerabuntur illi votantes, qui disperferunt suffragia sua, & neque illa dederunt postulato, neque electo, contententibus inuicem, sed tertio, vni vel pluribus? respondet: *Hi connumerabuntur maiori parti Capituli, propter regulam: quod omnes de collegio censeantur fecisse id, quod pars maior fecit, nisi protestentur contrarium tacite, vel expresse. Hi dispergentes nec tacite, nec expresse protestati sunt contrarium, quia neminem alium postularunt, vel elegerunt: ideo non manserunt neutri, sed tracti fuerunt ad partem maiorem Capituli: quemadmodum, si pars maior postulasset, minor autem post vota eligendo data, non publicasset electionem*

tionem suam contra publicatam postulationem: tunc enim pars postulantium, tanquam maior pars Capituli traxisset quoque ad se partem eorum, qui vota eligendo dederunt: ergo etiam, & a fortiori illi pauci alii, qui disperferunt vota sua, quin aliquam tertiam electionem, aut postulationem, publicarent, trahentur ad partem maiorem Capituli, ita, ut verum sit dicere: totum Capitulum postulauit, exceptis his, qui contra postulationem publicarent electionem. Vnde, si posito in casu 13. postulassent, & vniuersim electores 24. fuissent, dissentimus a BOECKHONIO, putante, electionem postulationi praeualere: quia, si illi 4. dispergentes connumerentur illis 13. postulantibus, erit horum numerus duplo maior, quam numerus eligentium. Nulla autem iuris ratio finit, ut illi quatuor dispergentes maneat soli, sed regula conclusi Capitularis exigit, ut trahantur ad alterutram partem, propter quod etiam non reperitur casus iste in Corpore iuris; sed semper duae partes; quia alterutra debuit ad se trahere illos, qui nullam electionem communem fecerunt. Ecqua autem trahet? Nonne pars maior Capituli? ---


Vides arma, quibus communis impugnatur opinio. Victasne BOECKHONIO & NELLERO dabimus manus? Absit, & defendamus potius, quantum in nobis est, communem, quae recta & proba est, sententiam.

Primo, regula generalis in negotio electionis obtinet: vota non computantur respectu competitorum singulorum,




lorum, sed respectu totius praesentis capituli; (§. 8.) atqui in cap. 40. contrarium neque explicite neque implicite est dispositum, ergo & in casu concurrentis electionis & postulationis valet. Secundo, postulatio electionem vincit, quia vis capitularis in duabus tertiis totius capituli consistere creditur, (§. 16.) ergo vota duplo maiora absolute talia esse debent. Tertio, in cap. 40. intelligi vota duplo maiora absolute talia: quod quidem temere negant Aduersarii, verum euidenter probari potest hoc modo: Duo solum aderant candidati, in quos omnium electorum vota collata erant. Hoc nemo negare potest, nisi qui contra clara verba textus disputare velit. In eiusmodi autem casu, si duo tantum candidati adsunt, vota intuitu competitoris duplo maiora sunt etiam intuitu totius praesentis capituli maiora s. absolute talia & v. v., idque ex ratione arithmetica. (§. 3. & 9.) Dum igitur Pontifex statuit: quod si postulantes duplo maiorem facerent numerum, quam 16. electores, tu vice nostra postulationem admittas -- & porro: Quod si ad faciendum duplo maiorem numerum simul NB. OMNES praedicti (postulantes) minime sufficerent -- tu, postulatione repulsa, electionem Plebani auctoritate nostra confirmes -- non alia vota duplo maiora, quam absolute talia, intelligere potuit. Concedimus, Pontificem verum numerum omnium votantium ignorasse, eumque hoc solum sciuisse, 16. suffragia fauere eligibili Plebano, latuisse vero Pontificem, quot praecise & determinate vota postulauerint Archiepiscopum.

Sed



Sed quid inde? Ego sane non video, quid ex eo ad hanc controuersiam colligi possit. Ceterum ex his euidentibus est, in illo casu, qui continetur in c. 40., idem esse dicere: *numerus postulantium debet esse duplo maior numero eligentium, aut: numerus postulantium debet habere duas tertias respectu totius Capituli: quod tamen NELLERVS negat. Exinde quoque patet, manifesto falsam esse conclusionem BOECKHNI: Igitur dum iussit confirmari electionem, si pars altera duplo non esset maior; eam in illa quoque hypothesi, qua 16. electores non essent pars tertia, sustineri voluit. (Quae, qualis, quanta conclusio? Nonne postulabilis, si vota eligentium non efficiebant partem tertiam, ultra duas habebat tertias? Et nonne postulabilis tum victor erat, neutriquam vero eligibilis?) Atque hinc nec vicissim ad postulationem cum electione conuenientem determinate requiruntur duae tertiae absolute tales.--- Omnino requiruntur: nam si in casu Constantinopolitano vota postulantium non efficiebant duas suffragiorum tertias, tum sedecim eligentium vota certissime non saltem vnam tertiam, sed potius ultra vnam tertiam omnium suffragiorum constitutebant; & cum Pontifex postulationem tum demum admitti voluerit, si vota duplo maiora respectu sedecim eligentium illi faueant, omnino, vt probauimus, aliter statui nequit, quam Pontificem duplo maiora absolute talia intellexisse. Quarto, posita hac, quod in cap. 40. duplo maiora absolute talia intellexerit Pontifex, indubitata & arithmetice probata veritate, prona est consequen-*



sequentia, vt & in casu, quo *tres pluresue* adsunt candidati, *postulabilis* non aliter vincat *eligibilem*, quam votis *duplo maioribus absolute talibus* instructus. In eiusmodi enim constitutionibus, ad *ius commune* pertinentibus, *principium iuris generale* in iis latens & probasi decisionis positum separandum esse ab *hypothesi casus relati particularis* notissimum est. 3) Et cur in casu duorum candidatorum *postulabilis* demum vinceret *eligibilem* votis *duplo maioribus absolute talibus*, in casu autem trium pluriumue candidatorum votis *duplo maioribus respectiue talibus* instructus? e. g. Ex 24. votantibus 13. *postulant* Aulum, 6. *eligunt* Titium & 5. *eligunt* Tullium. In hoc casu ex Aduersariorum sententia vinceret Aulus, quia ipsi fauent vota *duplo maiora respectiue talia*. Nam quae differentia est, vtrum *postulabilis* cum *vno eligibili*, aut cum *pluribus eligibilibus*, aut cum *eligibili & postulabili* concurrat? cur in illo casu maiorem requiris votorum numerum, quam in hoc? Quinto, quod ad *attractionem partis minoris*, quae *communem electionem* aut *postulationem* non publicauit, a NELLERO ingeniose excogitatam attinet, supra iam (§. 8.) dixi, & iterum intrepide dico, hanc *attractionem* esse lernam absurdissimarum conclusionum, in iure canonico plane incognitam & omnibus Canonistis inauditam, imo aliis principiis iuris canonici, de *mutatione votorum post publicatum scrutinium* prohibita, & de *accessu minoris partis ad maiorem* non valente, e diametro repugnantem; itaque nouum ingenii NEL-

LERIANI



LERIANI partum numquam in iure nostro admittendum, aut tolerandum. Plura de hac *attractione* dicemus in §. 20. & 21.

Et his, quae attulimus, argumentis, *communem* sententiam de votis *duplo maioribus absolute talibus* contra Aduersariorum tela in tuto collocatam esse loco nobis equidem persuademus.

- 1) in *Commentar. in ius canon. vniuersum* lib. I. tit. 5. n. 45. seq.
- 2) in *diff. de postulatione Praelatorum* §. 3. qu. ad n. 6. apud SCHMIDT in *Thesauro* T. II. p. 739. seq.
- 3) Id quod vel sexcentis exemplis probari potest. Occurrit l. 2. C. de *rescind. vend.* & c. II. c. 16. & 18. X. de *restam.*

### §. XIX.

QVOT VOTA REQUIRANTVR, VT ELIGIBILIS CVM POSTVLABILI  
CONCVRRENS PALMAM ACCIPIAT?

Restat quaestio de *eligibili*, & quot illum vota in concursu cum *postulabili* victorem constituent. *Duplex* iterum probe distinguenda est species, vtrum nempe *vnus eligibilis* cum *vno postulabili* concurrat; an *plures* adsint, ita vt *eligibilis* cum *pluribus postulabilibus*, aut cum *pluribus diuersae qualitatis* concurrat. Omnes fere hanc distinctionem negligunt, & confuse rem tractant.

In *priori* specie ex ratione *arithmetica* euidenter patet, *eligibilem* ultra *vnam tertiam* habere debere,  
nec




nec illum victoriam reportare, si praecise una tertia  
votorum ipsi faueat: quoniam hoc casu postulabilis al-  
ter duplo maiora vota absolute talia habet, ideoque eli-  
gibilem vincit: idque ipse NELLERVS agnoscit. Igi-  
tur evidens est, Perill. GEORG. LVDOV. BOEHME-  
RVM I) qui de hoc solo casu loquitur, si vnus eligi-  
bilis cum vno postulabili concurrat, male docuisse: Si  
pars capituli postulat aliquem, pars eligat; postulatio  
non praeualeat, nisi duabus tertiis suffragiorum constet:  
(hactenus bene) *sin secus, praeualeat electio, quae vna ter-  
tia constat.* --- Ergo iudice BOEHMERO vterque vincit:  
postulabilis quia duas tertias, & eligibilis quia vnam ter-  
tiam habet. Nam in casu duorum candidatorum, si  
pars vna praecise tertia constat, omnino necesse est, vt  
altera pars duabus tertiis constet. Vides ergo doctrinam  
BOEHMERI errore manifesto implicari. Vir Celeberr.  
quodam BARTHELII 2), quem probationis causa  
quoque laudauit, loco male intellecto deceptus est.  
In eundem errorem incidit WOLFFGANG. SCHMIDT,  
Monachus Fuldenfis, nauseosus compilator pariter ac  
impudentissimus multis in locis plagiaris, 2 †) qui ita  
scribit: Si vero postulatio eiusmodi concurrat cum ele-  
ctione, adeo vt alii ex Capitularibus eligant, alii postu-  
lent, tunc vt postulatio praeualeat, postulandus debet ha-  
bere duplo maiorem numerum votorum (duas tertias vo-  
cant) quam electus. Vnde vicissim suffragia eligentium,  
vt ius electo tribuant, debent efficere tertiam partem  
suffragiorum collectim sumptorum, quae in electum &  
postu-


*postulatum conspirant.* --- In eiusmodi ergo casu *utroque* vincit: *postulatus*, quia habet *duplo maiora*, & *electus*, quia habet *unam tertiam*. En contradictionem! E ZECHIO sua transcripsit auctor, hic autem, quod probe notandum, non habet: *debent efficere unam tertiam*, sed: *debent superare unam tertiam* &c.

In posteriori vero specie, si in tres aut plures candidatos vota collata sunt, ex communi Canonistarum sententia *eligibilis* victor est, si *ultra unam tertiam* & quidem *totius praesentis capituli* habet, non vero, si *praecise una tertia* ipsi fauet, & multo minus, si haec *una tertia tantum respectiue talis* est. Ita recte docent: AVG. BARBOSA, 3) ANDREAS VALLENSIS, 4) HENR. CANISIVS, 5) HENR. ZOESIVS, 6) ROB. KOENIG, 7) LVDOV. ENGEL, 8) ERNR. PIRHING, 9) VITVS PICHLER, 10) IACOB. WIESTNER, 11) FRANCISC. SCHMALZGRVEBER, 12) ANACL. REIFFENSTVEL, 13) THOM. SCHMITZ, 14) IVST. REDN., 15) PETR. LEVRENIUS, 16) AD. IOS. GRENECK, 17) IO. IAC. MOSERVS, 18) BENED. OBERHAUSER, 19) ANTON. SCHMIDT, 20) & STEPHAN. RAVTENSTRAVCH, 21). Nunc vero & aduersarios lustremus, mirum quantum inter se dissidentes atque discordantes. FRANCISC. XAVER. ZECHIVS, 22) concedit quidem *vota eligentia* superare debere *tertiam partem*, sed statim addit: *suffragiorum collectim sumtorum, quae in postulatum & electum*

G con-




conspirant. e. g. ex 20. electoribus II. postulant & 7. eligunt. PAVLL. IOS. de RIEGGER 23) sufficere ait tertiam votorum totius capituli partem. Ex PLACIDI BOECKHN, cuius verba in §. ant. retulimus, sententia non solum *tertia praecise pars* sufficit, sed & illa pars *respectiue*, non *absolute*, computanda est. WOLFFG. SCHMITT c. 1. not. p. idem fere dicit: *Non autem requiritur, ut in hoc casu vota minora superent vnam tertiam quoad vnum saltem votum: quia dum in cit. cap. 40. postulatio tunc demum praefertur, si suffragia postulantium duplo maiorem partem efficiunt, vnam tertiam eligentium sufficere necessum est, quando ita dispersa sunt reliqua vota, ut postulantes in duplo non excedant.* --- Denique Clariss. NELLERVS ita sentit: *An electio, cum postulatione concurrens, debeat necessario habere vltra vnam tertiam? Respondetur. In casu quo totum capitulum reduceretur ad duas solummodo partes, vnam postulantium, alteram eligentium, hoc vtique necessarium erit ex ratione arithmetica: quia secus postulantes facerent numerum duplo maiorem. Sed, si esset ita diuisum Capitulum, ut postulantes non haberent eius maiora, eligentes praecise eius tertiam haberent, quaestio moueri posset. Casus esto: Capitulum constat ex 60. Canonicis, 30. postularunt Caium, 20. elegerunt Titium; 10. disperferunt vota sua. Hoc casu sentit Cl. BOECKHN electionem praeualere: eo quod postulantium numerus non sit duplo maior numero eligentium, quo ipso impleatur omne id, quod c. 40. requirit ad victoriam*




riam electionis prae postulatione; cum sit in eo altum silentium de vna voce vltra vnam tertiam, imo & de ipsa tertia, sed praecise instituaturs comparatio inter postulatam & electam, & vnice quaeratur, vtrum postulantes sint duplo maiores eligentibus; sin secus, electionem confirmari. Nos sic putamus: vel decem illi, qui disperferunt vota sua, immiscent se liti, vel non: si hoc, se ipsos facient alienos, & considerabitur Capitulum, vt est reductum ad duas solas partes, & consistet in 50. Quoniam igitur hac reductione stante, solummodo considerantur 30. postulantes ad 20. eligentes; postulantes vero sic non erunt in numero duplo maiori eligentibus, sequitur hoc casu eligentes habere vltra vnam tertiam Capituli reducti: & sic manebit rursus verum, quod in concursu postulationis cum electione haec debeat habere vltra vnam tertiam, minus habere non debeat. Si vero decem illi se opponant tam postulationi, quam electioni, repellatur inprimis postulatio, quia 30. huic contradicerent, & sic nimia foret contradictio & diuisio: cassabitur deinde electio, quia 40. ei contradicunt, quoad hoc causam facientes communem; & erit pars maior, imo duae partes Capituli inuitae, quibus sane Canones dari nolunt Episcopum, a factione tam exigua electum. ---

Nobis, si cordatae pronunciandum est, neutra harum singularium opinionum placet, sed, quam supra explicauimus, communis sententia rectissime se habere,




bere, & per exempla a nobis in §. 17. relata extra omnem dubitationem posita videtur. In illustri enim *causa Coloniensi*, testantibus Actis, ideo confirmata est *electio*, quia *electo* faucebant suffragia *plus quam unam tertiam totius praesentis Capituli* efficientia. ZECHIVS, SCHMITTIVS & RIEGGERVS nulla protulerunt argumenta. BOECKHNI rationes iam explosimus, nam, quae in §. 18. exposuimus argumenta, ea & hic valent. Concedimus quidem in c. 40. altum silentium esse de *una voce ultra unam tertiam*, imo & de *ipsa tertia*: si *de verbis* disputas; si autem de *re ipsa* quaeris, supra evidentissime probauimus, Pontificem non aliter voluisse *electioni* palmam deferre, quam si 16. *vota eligentium* efficiant *plus, quam unam tertiam omnium votantium*. De *verbis* non disputamus, sed de *re*. Quod deinde ad NELLERI explicationem attinet: *primo*, exemplum ab ipso propositum neutiquam tribuendum est BOECKHONIO, & mirari satis neque, quod talem casum figurare potuerit. *Vir* ceteroquin rei peritissimus. Etenim in illo casu, quem NELLERVS figurauit, scrutinii actus plane foret *inutilis*, quia omnino deficient *maiora capituli*, quae tamen ex ipsa NELLERI sententia alibi prolata, *simpliciter & absolute* adesse debent, vt ad *communem electionis* aut *postulationis publicationem* rite procedi queat. (vid. §. 20.) *Secundo*, ingeniosissimus NELLERVS *nouum iterum* edidit partum, nempe *reductionem capituli ad duas solas partes*, si illi, qui disperferunt *vota sua*, liti se non immiscent. *Inaudita*  
hacte-



hactenus fuit talis *reductio*, & ipse NELLERVS alio loco 23) docuit, *maiora* vota numerari respectu capituli *vt congregatum* est. Vbinam lex exstat, quae illos, qui disperferunt vota sua, & liti se non immiscent, *pro mortuis* aut *umbris* declaret? Et cur in hoc casu deseris a te quoque enixam *attractionem minoris partis* ad maiorem, perspicacissime NELLERE? (§. 18.)

Stat igitur immota *communis* sententia, *eligibilem* in eiusmodi concursu tum vincere, si tot ipsi suffragia fauent, *vt plus quam vnam* *votorum totius praesentis capituli tertiam* habeat. Vt *integrum vnum* votum supra tertiam partem adsit, non *praecise* requiritur, quia Pontifex in c. 40. electionem confirmari iubet, si *vota postulantium*, quorum numerus *certus* ignorabatur, *duplo maiorem* non facerent numerum quam 16. *vota eligentium*. Nimirum aliquando numerus *votorum totus* in *tres* partes *aequales* non nisi per *fractiones* diuidi potest, aliquando *sine fractionibus*. In hoc casu *eligibilis integrum vnum* votum *ultra vnam tertiam* habere debet; non autem in *illo*. Sumamus casum ex cap. 40., & fingamus *totum* *votorum* numerum fuisse 47., cuius *tertia pars* sunt  $15\frac{2}{3}$ . Nunc *eligibili* fauebant 16. suffragia, ergo habebat *trientem* *vnus* *voti* *tertiam partem* capituli, non vero *integrum vnum* votum excedens. Nihilominus tamen secundum clara cap. 40. verba in eo casu, si totus *votorum* numerus fuisset 47., *eligibilis*, cui 16. suffragantur,




bantur, victoriam reportasset. Conferas, quae in §. 8. de simili quaestione diximus. Ceterum ex his perspicuum est, accurate non loqui quosdam Canonistas, e. g. REIFFENSTVELIVM, REDN, PICHLERVM, dum vnum votum ultra vnam tertiam indistincte desiderant.

- 1) in *Princip. Iur. canon.* §. 493. edit. 3<sup>tae</sup>.
- 2) IO. CASPAR. BARTHEL. in *Opusc. iurid.* T. II. p. 532. *Electus postulado praefectur, etiam alias canonica votorum pluralitate destitutus, modo suffragia pro electo data vnam tertiam ipsius postulati superent: Sic si ex 30. suffragantibus postulatus 19. electus 11. suffragia numeret, potior postulato electus erit ex c. 40. Exemplum huius legimus de anno 1688. &c. — Perspicuum est, BARTHELIVM supponere casum duorum candidatorum, eumque non statuere, electionem, quae praecise vna tertia suffragiorum nititur, postulatione potiolem esse.*
- 2 †) in *Instit. iur. eccles.* lib. II. tit. 14. §. 7. (Fuldae 1770. 4<sup>ta</sup>)
- 3) in *iur. eccles.* lib. I. cap. 19. n. 18.
- 4) in *Paratit. iur. can.* lib. I. tit. 5. §. 4.
- 5) in *Commentar. ad Decretal.* eod. tit. n. 3.
- 6) in *Comment. in ius canon.* eod. tit. n. 4.
- 7) in *Princ. iur. can.* eod. tit. n. 6.
- 8) in *Colleg. iur. can.* eod. tit. n. 6.
- 9) in *Iur. canon.* eod. tit. n. 18.
- 10) in *Iur. canon.* eod. tit. n. 10.

11) in






- 11) in *Instit. canon. eod. tit. n. 28.*
- 12) in *Iur. can. eod. tit. n. 19.*
- 13) in *Iur. canon. eod. tit. n. 154.*
- 14) in *Medulla iur. canon. p. 71.*
- 15) c. l. p. 32. n. 120.
- 16) in *Foro benefic. P. 2. qu. 202.*
- 17) in *Exam. iur. Can. lib. 1. tit. 5. q. 6.*
- 18) im teutschen Staatsrecht T. XI. c. 38. §. 154.
- 19) in *Praelect. canon. lib. 1. tit. 5. §. 9.*
- 20) in *Instit. iur. eccles. T. I. p. 308.*
- 21) in *Instit. iur. eccles. §. 748.*
- 22) in *Hierarch. eccles. §. 223.*
- 23) in *diff. 1. de Sacrae elect. processu §. 5. n. 13. apud SCHMIDT. T. II. p. 717.*

## §. XX.

ACTVS SCRVTINII NON DEBET ESSE PLANE INVUTILIS.

*Eligibilis ergo in concursu cum postulabili gaudet praerogatiua, vt victor discedat, quamuis maiora capituli vota non habeat. Sed haec praerogatiua cum grano falis applicanda est. Quid enim, si ex 60. electoribus 30. postularint Caium, 30. elegerint Titium? aut: si ex 60. canonicis 29. postulent Caium, 21. eligant Titium, 10. eligant aut postulent vnum vel plures? Putasne in his casibus palmam accipere Titium electum, qui vtique ultra vnam tertiam suffragiorum absolute talium habet?*




habet? Neutiquam vincit. Sed quae ratio? Haec est: actus scrutini non dum est *utilis & perfectus*, vt *communis capitularis electionis publicatio* peragi queat; ad hunc enim effectum requiritur, vt, *collatione votorum* instituta, *vni candidatorum saltem maiora absolute talia* faueant, licet *hic victor non existat*, quod in casu *concurfus postulationis cum electione* contingere potest. Hanc thesin, de qua *generatim* nemo dubitat, (§. 8.) recte ad *concursum postulationis & electionis* applicant, &, nisi *postulabilis* vota saltem *maiora absolute talia* habeat, (nam si ipse *eligibilis* votis *maioribus absolute talibus* instructus est, ob *regulam generalem*, (§. 8.) & non ob *praerogatiuam concurfus*, palmam accipit.) *eligibilem*, quantumuis suffragiis *ultra vnam tertiam instructum*, victorem non declarant antea iam laudati BOECKHNIUS, ZECHIUS, ANTON. SCHMIDTIVS & IO. GEORG. SCHLOERIVS I). Vt ergo *iustus* in eiusmodi *concurfu suffragiorum* numerus adsit, non solum requiritur, vt *eligibili* faueant *suffragia vnam tertiam capituli totius excedentia*, sed & *consideratur*, vt *concurrens* aliquis *postulabilis* habeat *vota saltem simpliciter maiora*. Quae tamen egregia observatio plerosque fugit.

1) in *diff. ad Concord. German. de Electione Archi-Episcoporum in Germania*. Mogunt. 1767. pag. 55. seq.

§. XXI.


QUANDO CONCURSVS POSTVLATIONIS CVM ELECTIONE ADSIT?  
Nobilissima restat quaeestio: quando nimirum ve-  
re

re dici possit, *postulationem cum electione concurrere?* Frustra euoluis omnes Canonistas. NELLERVS, *Vir eruditissimus*, primus est, qui illam posuit, & sequenti modo dissoluit: *Concurrere tunc modo intelligitur postulatio cum electione*, quando vnus postulantium, suo & sibi consentientium nomine, in communi publicauit *postulationem*, & ex altera parte alius vnus suam *electionem*: non autem iam, quod vota in protocollo scripta sint, quorundam *postulantium*, quorundam vero *eligentium*. arg. c. 7. de elect. in 6. Et ratio est ex cap. 55. X. de elect., quia sine publicatione communi non est *electio*, nec *postulatio*, ergo neque *concurfus vnus cum altera*. Vnde inanis erat in quadam Germaniae *electione*, hoc seculo celebrata, *scrupulus*, malaque *instructio* Canoniorum illorum, qui intendebant *postulare*, aliis *volentibus eligere*, erantque in *casu*, quo *eligentes non facere poterant maiora Capituli*, *postulantes vero non duas tertias*. Crediderunt hi, *periculum sibi fore*, & *postulando*, si in *scrutiniis*, quae saepius *iterabantur*, vnquam darent *vota postulantia*: ideoque *nulla dabant postulando*, sed *variando mox huic*, mox illi, *eligentes*, quos tamen non intendebant serio: *resultauit hoc modo tandem*, illis non *opinantibus*, *electio*, *postulatione in scrutinio non comparente*. Debuissent illi *vota postulantia audacter dare in quouis scrutinio*, sed eo *publicato*, nec *habitis duabus tertiis*, non *procedere ad publicationem communem suae postulationis*: tunc non *existisset concurfus*: & licet *eligentes*



gentes in numero minori existentes, suam electionem publicassent, nihil egissent, cum nec habuissent maiora Capituli, nec concurrissent cum postulatione, utpote quae nondum fuisset in mundo. --- NELEERO vnicus, quantum icio, adstipulatur *Heidelbergensis Canonista* ANTON. SCHMIDTIVS, 2) sed sine argumentis.

Ego vero a NELLERO iterum dissentio, quod aegre facio, idque non nisi ex grauissimis, quas habeo, rationibus. Ipse NELLERVS cum omnibus Canonistis docet, 3) *scrutinii* actum, in quo obseruanda est dispositio c. 42. X. de *elect.*, ita instituendum esse, I. vt eligantur *tres scrutatores*; II. vt hi *scrutatores* exquirant *singulorum vocalium* vota, eaque in scriptis redigi faciant; III. vt, exquisitis omnibus votis, illa *publicentur in communi*, i. e. coram *vniversis* electoribus significetur, in quas personas suffragia collata fuerint, & quot cuique faueant. Recitatur nempe publice *protocollum*, in quod fuerunt descripta vota. Et hic actus vocatur *publicatio scrutinii*. III. vt, *publicatione scrutinii* facta, statim a *scrutatoribus* suscipiatur *collatio votorum*, & eum quidem in finem, vt appareat, vtrum actus scrutinii sit *utilis*, i. e. an in *praesenti casu iustus* adsit suffragiorum, in aliquam personam conspirantium numerus, vt illa palmam accipere possit. Omnino igitur considerari debet, vtrum omnes candidati sint *eligibiles*, an omnes *postulabiles*, an *alius aliue eligibiles aliis aliue postulabiles*. Si, *collatione instituta*,



stituta, *iustus* in *praesenti* casu (conf. §. 18. 19. & 20.) non inuenitur suffragiorum numerus, scrutini actus plane *inutilis* est, & *nouum* suscipitur *scrutinium*, vel *eodem*, vel *alio die*. Si vero *iustus* in *praesenti* casu reperitur suffragiorum, in aliquam personam conspirantium, numerus, ad officium *scrutatorum*, praesertim *primi*, pertinet IV. vt hac illaue formula consueta *electionem* aut *postulationem communem* 1. *capitularem* publicet. Quod si *scrutatores* circa hanc *publicationem communem* peccant, vt forte illum non *publicent*, cui *iustus* votorum numerus in *praesenti* casu fauet, eorum est culpa, non vero *volantium*. 4) Igitur per se patet *candidate*, in quos in *scrutinio* vota collata sunt, *omnes* post *publicatum scrutinium* in actu *collationis votorum* *concurrere*; nisi enim hoc concedas, qua quaeso ratione suscipi posset *votorum collatio*? Atqui *Celeberr.* *NELLERVS* 5) ipse statuit in casu *electionis mixtae*, i. e. vbi *candidate diuersae qualitatis* adsunt, accurate obseruandam esse formam in c. 42. X. de *elect. scrutinio* praescriptam; ergo indubium quoque est, post *publicatum scrutinium*, in actu *collationis votorum* statim suscipiendo *eligibilem* cum *postulabili* concurrere. Et haec est ratio, cur *omnes Canonistae* recentiores & antiquiores, de quaestione, a *NELLERO* mota, resoluenda solliciti non fuerint, putantes, eam non esse disputabilem, sed extra omnem dubitationem positam. Accedit, quod *eligentibus* vota *mutare* non liceat, *publicato scrutinio*; 6) & quamuis *postulantibus*



variandi facultas detur, quamdiu postulatio *superiori* nondum est *praesentata*, 7) id tamen ad eum praecipue pertinet casum, quando *postulatio* in actu *collationis votorum iustum* habuit suffragiorum numerum, & *communis postulatio* facta est. In actu quidem *scrutinii discordi* fieri plerumque solet, ut *alterius partis electio* aut *postulatio*, quam praetendit *canonicam esse*, a *scrutatores* tamen non est *publicata*, per *unum adhaerentium* votantium in *communem electionem* aut *postulationem* redigatur & *publicetur*, sed hoc *absolute* non esse necessarium, causa *illustris Coloniensis* clarissime probat. In illo enim *scrutinii* actu *primus scrutator postulationem communem* publicauerat, nulla *communi electione* vel ab ipso, vel ab *vno eligentium Capitularium* *publicata*. Urgebat quoque *omissam communem electionem FÜRSTENBERGIVS*, & *concursum postulationis cum electione* negabat adesse. Sed iuste haec exceptio reiecta, & *electio*, cui *iustus in actu collationis votorum* fauit suffragiorum numerus, nihilominus ex capite *iustitiae*, non *gratiae*, *Romae confirmata* est. 8) *Leger*, a *NELLERO* excitatae, *dicis gratia* allegatae sunt, & *thesin*, ab ipso *defensam*, nequaquam probant, ut *nemini*, qui *textus inspicit*, *obscurum esse* potest.

Duo, velut corollaria, adnectimus; *Primum*, quod *NELLERI* cautela, *postulantibus* commendata, *inanis & inutilis* sit, quodque *canonicos*, quos in mente

te habuit, immerito taxauerit; alterum, quod nunc  
 sole clarius fit, attractionem minoris partis ad maiorem,  
 & reductionem capituli ad duas partes, de quibus in  
 §. 18. & 19. pluribus dictum est, mera esse noua fi-  
 gmenta, ex iure canonico eliminanda.

- 1) in *diff. de postulatione praelatorum* §. 3. n. 7. apud SCHMIDT  
 T. II. p. 748.
- 2) in *Instit. iur. eccles.* T. I. p. 308.
- 3) in *diff. I. de sacrae electionis processu* §. 5. n. 6. seq. apud  
 SCHMIDT T. II. p. 716. seqq.
- 4) PASSERINVS in *tr. de election.* c. 19. qu. 5. n. 31. seq.
- 5) apud SCHMIDT T. II. p. 746. n. 3.
- 6) c. 58. X. de *elect.*
- 7) c. 4. X. de *postul.*
- 8) Instar omnium VITVS PICHLER. in *Iure can. practice*  
*enucleato*, p. 42. & REDN c. l. qui causam Coloniensem  
 diligentissime pertractarunt, hic euoluuntur.

### §. XXII.

DE ARBITRIO SUPERIORIS IN CONCURSU ELECTIONIS  
 ET POSTVLATIONIS.

Nunc rite & ex quacunque parte enucleatam  
 a nobis esse doctrinam de iusto suffragiorum numero

H 3

in



in electione & postulatione canonica, praesertim vero in concursu viriusque, nobis persuademus. Vnam adhuc addere nobis liceat, quodammodo connexam, controuersiam. Quaeritur nimirum: vtrum in superioris arbitrio positum sit, in casu concursus, postulationem, quae quidem maiora capituli simpliciter talia, non autem vota duplo maiora, habet, admittere vel electionem concurrentem, cui suffragia, plus quam vnam tertiam capituli efficientia fauent, confirmare? Affirmatiuam sententiam plures tuentur, veluti PASSERINVS, ENGELIVS, PIRHINGIVS & LAYMANNVS, alique, quibus calculum quoque suum, quod valde miror, adiecit NELLERVS. 1) Negatiuam vero amplectuntur WUESTNERVS, KOENIGIVS, SCHMIERIVS, REIFENSTVELIVS, BOECKHNIUS & plures, quam quod sententiam ex professo confirmauit IO. GEORG. SCHLOERIVS. 2)

1) in *cit. diff.* apud SCHMIDT. T. II. p. 851. seq.

2) in *cit. diff.*

### §. XXIII.

#### VSUS INTER EVANGELICOS.

Sed quis huius tractationis, de iusto votorum numero in electionis negotio, inter Evangelicos usus? Insignis omnino, quod praeclare ostendit *Vir summus* IVST. HENN. BOEHMERVS, 1) qui, licet in ipsa de iusto numero suffragiorum controuersia cum reliquis



quis omnibus *Protestantibus Canonistis* plane sterilis fit, usum tamen huius doctrinae inter *Euangelicos* egregie & solide stabilivit.

1) in *Iure eccles. Protestant.* T. I. lib. 1. tit. 5.

Vnum etiamnum tibi iudicatum volo L. B. In *Biblioth. iurid. LIPENIANA* refertur IO. ANDR. de BOISGAUVIER *diss. de electionis postulationisque concursu.* Argent. 1752. Quod scriptum meas vt ad manus perueniret, diligentiam, quam potui, adhibui prope omnem. Sed optatis meis adeo excidi, vt dum haec scribo, illa adhuc dissertatione caream. Quodsi amici cuiusdam verbis fides habenda est, illa meris iisque breuioribus, nullius profus momenti, thesibus constat. Quod ego quidem facile crediderim, cum dissertationum, quas Candidati *Galli* pro obtinendis gradibus academicis *Argentorati* ventilant, tantum non omnium, eam sortem atque conditionem esse, quilibet in *historia iurisprudentiae literaria* non plane hospes iam dudum norit,

Durch





Durch treuer Freundschaft Pflicht mit Dir genau verbunden,  
 Nimmt mein empfindend Herz an Deinem Glücke Theil,  
 Und heitre Freude blickt aus meinen Zügen, weil  
 Ich heut Dein edles Haupt mit Lorbeern seh' umwunden.  
 O welche Lust, wenn ich Dich in dem Stand erblicke,  
 Den Dein Verdienst erwarb. Doch ach! es naht sich  
 Zu schnell! Der Schreckens-Tag, an dem ich Bester, Dich  
 Verlihren soll. So wird vom mächtigen Gesichte  
 Der Freund, den es mir gab, bald wiederum entführt!  
 Mein Schiebler! lebe wohl! komm, Freund, komm bald beglückt  
 In Deine Vaterstadt, wo feyerlich geschmückt  
 Dein weitberühmtes Haus, durch Dich noch mehr gegieret,  
 Mit Sehnsucht nach Dir sieht. Wann Du dann dort gekrönt  
 Mit Stand, Verdienst und Ruhm, im Schoos der Freuden bist,  
 Dann denk, mein Freund! an den, der Deiner nie vergißt,  
 Der mit Vergnügen sich stäts zärtlich nach Dir sehnet,

Johann Philipp Hettler, M. D.  
 aus Franckfurth am Mayn.

ULB Halle  
005 120 055

3



SS.

TA-306







Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

DISSERTATIO INAUGVRALIS IVRIDICA  
DE  
VOTIS DVPLIO  
MAIORIBVS

ad c. 40. X. de elect.

QVAM  
EX DECRETO ET AVCTORITATE  
ILLVSTRIS IVRISCONSVLTORVM ORDINIS  
IN ALMA LVDOVICIANA  
PRAESIDE  
D. IO. CHRISTOPH. KOCH

SEREN. HASSIAE LANDGR. A CONSILIIIS INTIMIS  
ACAD. GIESS. CANCELL. ET PROF. IVR. PRIM.  
COM. PAL. CAES.

PRO  
SVMMIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS  
OBTINENDIS

AD D. MARTII CIDI CCCLXXVI.  
H. L. Q. C.

PVBLICO EXAMINI  
SVBMITTIT

AVCTOR

IOANNES ANDREAS SCHIEBELER

REV. CAPIT. HAMBVRGENSIS CANONICVS.

GIESSAE

apud IO. IACOB. BRAVN, Acad. Typogr.  
recusa 1784.

1776, 2  
218  
10